



24

I. N. C. J.
DE
FORMIS SUB-
ORDINATIS
EX
PHYSICIS

publicè disputabunt

PRÆSES

M. JOHANN CASPAR SCHWENK
S.S. Theol. Stud.

&

RESPONDENS
JACOBUS HAHN
Stendal, Marchicus.

In Auditorio Minori

die 21. Novembr. Anno M. DC. LV.

WITTEBERGÆ,
Typis OELSCHLEGELIANIS.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.





Σὺν τῷ χειρῶ

PROOEMIUM.

Nsignem esse formarum varietatem, neque iis ignotum, qui vel per transfennam mundi adspexerint theatrum, & doctorum monumenta inspexerint. Quot species mundi, tot quoque sunt Formae. Rectè Aristoteles Celeberrimi Dn. D. Sennerti, B. M. iudicio in hypomnem: V. C. VIII. p. 482. conclusione: Πάντα ἴσopov ἢνὰ πλήρη ψυχῆς. Omnia animarum quodam modo esse plena. Quemadmodū autem insignis formarum varietas est, ita ob hanc ipsam, de origine illarum definiri in genere certi potest nihil. Non enim de his pronunciare indifferenter licet, quod aut educantur ex materiā, aut traducantur vel denique creentur. Latet namque hīc Natura & thesauros suos habet admodum absconditos. Hinc λόγῳ καὶ πείρῃ ratione & experiētiā opus. Hæc duo qui sequitur, de facili non errat: Qui verò iisdem neglectis, ad externum illud argumentum, auctoritatem scilicet confugiunt, & quedam veluti mancipia in unius ju-

rant verba & ex homine DEUM qui fallere fallique
nescius sit, faciunt; ne facile in varios se dant, errores
præcipites. De singulis Formis, non opus illud ut ea-
mus demonstratum. De subordinatis, quas vocant
Formis $\sigma\omega\nu$ Θεω ad Oculum patebit illud, quarum
nunc naturam sumus investigaturi. Faxit supremus,
fiat feliciter.

THESIS PRIMA.

Dantur Formæ Subordinate.

§. 1. **N**on novam esse hanc de Formis subordinatis senten-
tiam, aut nudius tertius demum natam, sed animad-
versam & à naturâ ipsâ ostensatam ad satiem usque
tradunt viri doctissimi, monstrant exempla. Non
eruditi vox est, quam D. Freitagius Disput. 3. th. 3.
contra Excellentissimos viros Dn. D. Sennertum & Dn. Sperlingi-
um ore eructavit pessimo distinctionem Formatum in specificas,
subordinatas, accidentarias & partiales antiquitati ignotam & eru-
ditis omnibus esse execrabilem. Quasi verò ex antiquitatis auto-
ritate judicanda veritas sit? Qualis enim quæso consequentia erit:
Quæcunque sententia est antiqua, illa est vera; è contra quæ sen-
tentia est nova, illa est falsa: Ita nimirum de veritate ex Antiquita-
te, de falsitate ex novitate judicandum erit in posterum. Sed igno-
rant homines quod ex nudâ antiquitate genuinis suis & germanis
destitutâ requisitis, Rei vel præstantia, vel bonitas, vel etiam veritas
dijudicanda minimè sit. Non omnia antiqua vera, nec omnia no-
va falsa sunt proclamanda. Vigent potius ac florent illa in ore
quæ circumferuntur omnium: Antiquitas & multitudo errantium,
errori non pariunt patrocinium: Antiquitas dogmatis absque ve-
ritatis antiquitate, heterodoxiæ magis quam orthodoxiæ est argu-
mentum. Sed ad rem.

§. 2. **II**

§. 2. In uno eodemque subjecto plures formas substantiales esse posse, & etiam revera dari multis disputant autores. Thomas, Suarezius, Fonseca, Rod. ab Arriaga Curs. Phil. Eustachius in Philos. quadripartita & alij. Et si rem altiori indagaturi indagine sumus, non negandum penitus est. Ita quidem, ut non tantum conceptus diversi, sed & res distinctæ inveniantur. Sunt in misto quovis quatuor Elementa; & si hæc, etiam quatuor formæ eorundem. Ad sunt aliæ formæ plurimæ, ut ex resolutione patescit. Si ergo dantur hæc formæ in uno aliquo composito, uti revera dantur, aut specificæ erunt unius istius compositi aut subordinatæ (de accidentariis enim partialibusque hæc vice non quæritur) aut una erit specifica & reliquæ subordinatæ. Sed prius est absurdum, & Suarezij iudicio per naturam impossibile. Neque omnes sunt subordinatæ. Manet ergo ultimum. Prius absurdum esse probatur. Quodcunque enim corpus naturale sive simplex illud sit, sive compositum, reperitur, unâ tantum formâ constat, specificâ nimirum à quâ esse, distinguere & operari accipit. Et Suarezio iterum teste Disp. XV. de caus. formal. sect. X. Nullus hæctenus Philosophus dixerit posse naturaliter duas formas substantiales non subordinatas simul eandem informare materiam eiq; esse distinguere & operari largiri. Ubiunque enim plures formæ specificæ ita constitutæ, ibi plures quoque essentia. Sed in uno subjecto plures essentias dari absurdum. Hominis una essentia, licet ibidem mistorum formæ, licet anima vegetativa, sensitiva & rationalis ipsi insit. Hæc enim realiter non differunt, sed saltem formaliter & diverso considerandi modo. Neque etiam omnes subordinatæ sunt, hæc enim eo ipso à specificis differunt, quod actum ultimum Rei cuius formæ sunt, non tribuant, nec esse distinguere & operari largiuntur. Inviçtuus g. stat unam esse specificam reliquas subordinatas.

§. 3. Et quid multis? Ex resolutione hoc patet. Mortuo enim homine & cadavere relicto, cadaver in ea ex quibus constabat prius, resolvitur corpora. Hæc suis constant formis. Corpus namque sine forma dare, esset dare panem sine farinâ, somnium sine somno. Quænam autem sunt ista in quæ resolvitur? Sunt Elementa & reliqua quæ ad misionem faciunt corpora, ex quibus constabat

mistum. Horum formæ in mistione non pereunt aut abolentur. Quæ enim uniuntur, manent sanè, non pereunt. Et mistio aliàs miscibilium unio dicitur. Si unio miscibilium fit, quæ pereunt, qui abolentur? Neq; factà resolutione novâ demùm generatione fiunt; quod vel ex qualitatibus patet, quæ ibi inveniuntur. Ubi vero qualitates Elementorum, ibi necesse est Elementa ipsa actu quoque inesse. Hæc ergò misti forma quando inest homini aut alij animali, non sanè hominis aut animalis equi v. g. forma specifica est? Homini enim vel equi formam specificam terræ aut aquæ formam dicere absurdissimum.

§. 4. Et quæ de formis mistionis jam dictum est, ad omnes formas, quæ præter Elementa ad viventis corporis constitutionem necessariae sunt, extendi potest. Non enim absurdum est, ut supra jam dictum, præter formam specificam adhuc aliàs formas dari subordinatas, sed ut Zarabella lib. 1. de gener. & inter. c. 2. scribit, si duas simul esse non repugnat rationi, nec quatuor, nec centum repugnat simul esse in eodem.

§. 5. Hinc videmus non modò ex cadaveribus diversis diversa vermiculorum genera prosilire, sed etiam ex plantis vivis vermes pronascuntur, & ubi non ejusmodi cernere mutationes licet? E vestimentis & pellibus vermiculi nascuntur. Ubivis locorum in omnibus herbis, fruticibus, arboribus, & animalibus nascuntur vermes. Nunc in flore quidem, nunc in fructu, nunc in semine. Mox in radice, mox in trunco, nunc in caulibus, mox in foliis. Et cadavera in innumeros abeunt vermes, sine tamen ullà sui confusione; Alij in cadavere canis, in Leonis eadavere alij. Sicut alij in caseo alij in carne. Inprimis verò varia erucarum & ex his papilionum genera nascuntur. Modum eleganter Aristoteles describit l. 5. hist. animal. c. 19. Verba sic habent: γίνονται τὲ αἰ μὲν καλεόμεναι φυχαὶ ἐκ τῶν κάμπων. αἱ τὲ γίνονται ἐκ τῶν φυλλῶν τῶν χλωρῶν, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῆς ῥαφάνος ἢν καλεῖσιν κρομμύνην. Πρῶτον μὲν, ἕλαττον κέγχρον εἶτα μικροὶ σκώληκες, καὶ αὐξανόμενοι. ἔπειτα, ἐν τρισὶν ἡμέραις κάμπων μικρῶν. μετὰ δὲ ταῦτα αὐξηθεῖσαι ἀκινήτισσι καὶ μεταβάλλουσι τὴν μορφήν καὶ καλεῖνται χρυσαλλίδες, καὶ σκληρὸν ἔχουσι τὸ κέλυφος. ἀπλομένε δὲ κινῶνται. περιέχοντα δὲ πόροις ἀεραχρῶδεςιν.

νιώδεις, οἱ ἔτι σῶμα ἔχουσιν ἔτι ἄλλο τῶν μορίων διάδηλον εἶναι. Χρό-
 νος δὲ πολλῶν διελθόντων περιήγνηται τὸ κέλυφος, καὶ ἐκπέτονται ἐξ
 αὐτῶν πλωτὰ ζῶα, ἃς καλεῖμεν ψυχὰς. Idem probat Excell. noster
 Sperlingius de bombycibus : Verba digna ut audiantur: Primum
 inquit, quædam semina aut ova adsunt, vera bombycis primordia.
 Ova hæc in vermiculos tam minutos ut visum ferè fallant, mutan-
 tur. Vermes sericos opificos appellant. Hi transactis diebus ali-
 quot nere incipiunt, ac velut in sepulchro sese recondere. Filum
 è proprio promunt corpore ut araneæ: non verò foliorum lanugi-
 nem in vellera mutant. Ex filis villisque sericis structuram formant
 figuræ ovatæ ad animalis intus jacentis & papilionem, ut pariat se
 componentis formam: Custello si scinditur structura, erucam com-
 pressam pellucida membranâ contactam, effigie puelluli in utero
 concepti adspicis. Quamdiu verò filum ducit eruca & istas sibi ex-
 truit latebras, bombyx eruce nomine exuto vocatur, post diem qua-
 dragesimum subnascitur papilio aut necydalus, vermis cornutus &
 quatuor alis pennatus. Ubi provalarunt necydali, mas & femina
 congregiuntur, & ova edunt nigra, rotunda, minuta, quæ in fœtum
 ac proventum anni proximi servantur. Hoc reddito, mox à par-
 tu contabescunt pereuntque. Idem in plantis observatum à viris
 doctis.

§. 6. Quando verò hæc facta videmus atque admiramur non
 cogitandum formam in formam, animam in animam degenerare
 quemadmodum Cl. Fortunius Licetus lib. 4. de Spond. viv. ortu
 cap. 35. p. 284. (*cujus rarissimi operis Bibliotheca Celeberrimimi Dn. D.
 Sennerti, per ejus Filium Ex. Dn. Andre am Sennertum L. L. Orient. Prof. Publ.
 Clarissimum, Patronum meum honorandum mihi facultatem fecit*) statuit
 quando dicit: formæ degenerare dū labefactantur & labefactatæ in
 debiliores degenerant. Labefactari autem vel ab agente sibi contra-
 rio in eas per se operante; vel ad subjecti mutationem, à quo inesse
 dependent; vel ob utramque causam. Sic anima vituli eo morien-
 te degenerat in animam vermium & apum ex ejus cadavere spontè
 nascentium; sic essentia tritici in substantiam lolij & avenæ; &c. Sed
 absit formæ in formam animæ in animam transmutatio. Forma
 enim cum sit Essentia Rei, Essentia verò quælibet immutabilis, quo-
 modo vituli forma in vermium aut apum transmutari potest? Hoc
 potius

potius dicendum, quod corpus in corpus mutetur, corpus papilionis in corpus erucæ, corpus erucæ in corpus Chrysalidis. Formæ formis subordinatæ sunt, papilionis forma formæ erucæ; erucæ viridibus foliis. Duæ, tres, quatuor pluresque formæ in uno dantur corpore. Sed una dominatur, reliquæ famulantur. Donec data anomalia & ipsæ prorumpant seque ostendent, non novum esse recipiendo, sed novum officium exequendo.

THESIS 11.

Subsunt autem hæ formæ subordinatæ aliquamdiu dominio specificarum.

§. 1. Mihi magis consentaneum videtur inquit Dn. D. Sennerus Hyp. V. c. 2. de spont. viv. ort. & caus. eff. p. 361. in corporibus viventibus plures formas succenturiatas esse, & subordinatas, ita tamen, ut una sit princeps & domina, quæ vivens informat & a qua vivens nomen habet, ipsa sc. viventis cujusque anima; reliquæ verò ministræ quasi, quæ, quamdiu forma illa superior præsens est ad materiæ dispositionem & conditionem pertinent & propterea materiam quidem illam, ut sit idoneum formæ specificæ subjectum, suo modo informant. suasque etiam actiones habent; eam tamen non animant, nec ei nomen viventis tribuunt: quod solius animæ specificæ officium est. Non enim duæ aut tres specificæ in corpore animæ seu formæ sunt; sed una specifica, quæ dominatur, reliquæ verò subordinatæ, in quas hoc specificæ formæ dominium extenditur, ipsæ verò pedissequæ quasi & famulæ.

§. 2. Cùm larvis autem pugnat & æquivocationibus, ac cavillationibus ludit, qui formas subordinatas negat & a specificis distinguendas non putat, cum & ipsæ dici queant specificæ. Specificas nominari posse formas hasce quas subordinatas dicimus, extra dubium. Nulla namque ex his datur Forma quæ per se considerata non dici possit specifica. Ignis, aeris, aquæ, terræ & reliquorum corporum formæ ubicunque sunt, specificæ sunt. Sed de hoc non est quæstio neque ullum id propter movetur litigium. In hoc cardo versatur Controversiæ, an quando v. g. in homine, aut equo hæ
for-

formæ reperiuntur, sintne hominis aut equi forma specifica? quod sanè dicere esset absurdissimum. Quid enim ignis forma ad hominis essentiã, aut quid aeris aut terræ ad equi? ad corpus pertinent formæ hæ vel sunt pars corporis. Sicut autem corpus est materia, ita & ea, quæ hoc corpus constituunt, ad materiam debent referri. Et licet realiter insint corporibus, non tamen ad animæ modum insunt nec officio funguntur animæ, nec materiam animant, nec corpus vivificant, nec in eo operationes vitæ exercent, sed omne illud à forma nobiliore & specificâ seu animâ vivente perficitur. Ipsæ vero ad materiæ dispositionem & determinationem pertinent.

§. 3. Hinc eò ipso à specificis differunt, quod actum ultimum Rei cuius formæ sunt non tribuant, nec esse, distingui & operari largiantur. Contradictorium enim esset subordinatam & ultimam esse formam. Specificas esse facilè conceditur. Verè enim actum ultimum & specificum largiuntur materiæ, certamque mundi speciem constituunt. Sed hoc non faciunt quando sub dominio specificæ continentur. Ad tempus enim sub specificarum dominio latitant ibique suo non funguntur officio. Neque hoc aliquid contradictorij est, specificas esse & tamen subordinatas. Vnam enim Rem diverso modo & tempore diverso diversa quoque sortiri nomina posse extra omne dubium. Neque est ut cum non-nemine excipiat aliquis: Posita formâ, actu formatum poni. Distinguendum enim omninò hîc est, inter actum entitativum & formalem, & hunc simpliciter talem & secundum quid. Ille nudam formæ entitatem infert; Hic verò præter entitatem etiam officium. Actus est respectivum quid, Ergò absolutum præsupponit. Hoc absolutum esse potest sine exercitio formalis. Non enim statim ubi forma est, ibi omnes officii partes agit. Nemo doctorum inquit Excell. Dn. Sperlingius in defens. origin. Form. formam terræ in homine vocat specificam, licet terra in se spectata species mundi sit, formamque specificam habeat. Nunc enim princeps forma subordinata est, nunc subordinata princeps est.

THESIS III.

*Continentur Formæ subordinate sub specificæ
dominio Lege Nature.*

§. 1. Non sine causâ hæc verba (Lege Naturæ) adduntur thesi. Ut nimirum ab accidentariis quæ sine Lege ad tempus corporibus non nullis per accidens insunt, distinguantur. Quarum Formarum accidentariarum (quæ ita dicuntur quod per accidens insunt, quoad Originem enim nihil novi inferunt, sed cum origine vel specificarum vel subordinatarum conveniunt) exempla prostant plurima in Rebus. Exemplum elegans habemus in Dn. D. Sennerti Conf. & diss. c. 12. p. 204. Alatur, inquit, capra herbis quibusdam purgantibus; Lac capræ illius bibat nutrix, fiet ut infans, qui lac sugit à nutrice indè purgetur. Vbi primo in ventriculo capræ herbæ illæ mutantur in chylum; Ex chylo fit sanguis in hepate; ex sanguine in mammis Lac; lac hoc ubi nutrix bibit, rursus fit ex lacte in ventriculo nutricis chylus; ex chylo sanguis; Ex sanguine lac; lac hoc sugit infans & purgatur, Atque ita vis purgatrix cum suo proprio subjecto & Spiritu, in tot mutationibus integra & incorrupta manet. Hæc Dn. Sennertus. Vbi sanè forma illa, quæ principalis purgationis causa accidentaria est respectu ventriculi capræ; epatis capræ, mammarumque capræ. Accidentaria etiam est respectu ventriculi nutricis, epatis nutricis, & mammarum nutricis. Accidentaria etiam est respectu ventriculi totiusque corporis infantis. Quis ignorat una cum cibo, potu, aere, aliisque modis varia animalculorum semina vel ut Scaliger Exercit. 61. sect. 2. loquitur, quasi semina in corpora quædam assumi, è quibus postmodum non fiendis, sed jamdudum factis formis corpora nova pronascuntur. Sic semina ranarum & luciorum in alias piscinas transportantur, ranæque & lucij ibi, ubi nec ranæ nec lucij antea aderant, non sine stupore vulgi generantur. Et qui excogitare valeret omnes modos, quibus hæc parva vel ipsa volatu, reptatione, cursuque suo loca quædam petunt vel per alias bestias & homines aliò transportantur. Dn. D. Franz, hist. animal. tract. 4. c. 7.

§. 2. Quondam fuere qui erucas, papiliones, vermes & similia animalia, fruges præsertim herbas & arbores depopulantia hominesque vexantia, à Diabolo facta esse & etiamnum fieri putarunt. Subtilitatis ille rerum primus explorator Cardanus, viventi-um sponte nascentium originem alicubi scrutatus, eam esse statuit
forru-

fortuitam IX. de subt. quod placidum gemina confirmat ratione; quam etiam adducturi essemus, si chartarum nobis angustia concederet. Theophilus Zimara in suis commentariis ad libros Aristotelis de animâ per accidens & ex secundo natura instituto pro- gigni autumat Lib. 2. c. 35. Jacchæus & ejus censor & qui eum hodie sequuntur cum Freitagio suo ad putredinem, cœlum & astra recurrunt. Quibus tamen omnibus & singulis satisfecit Cl. Fortunius Licetus lib. 1. de spont. vit. ortu. Cl. Dn. Sperlingius tractatu Physico-Medico p. 25. Cl. Dn. Doct. Sennertus Hyp. V. videatur & nostra disputatio de causa efficiente animal. sponte ortorum anno M. DC. LI. hic habita. Nos cum Excell. nostro Sperlingio dicimus Formas hasce in & cum speciebus mundi à DEO primitus fuisse creatas; Hodiè verò in & cum speciebus mundi etiamnum propagari; tract. phys. med. p 27.

§. 3. Cum enim quercum fecit DEUS Ter. opt. Max. non forsan unicam formam fecit; & cum equum formavit non unicam illam equi animam plasmavit; & cum immania cete omnipotente verbo suo elaboravit, non unam unius piscis animam ædificavit; sed egregia corpora variis & infinitis ferme corpusculis, suis itidem formis constantibus, gaudencia creavit. Quomodo verò hodiè propagentur, fatemur sanè eloqui esse perquam difficile. Latet hinc Natura & in mille formas Prothei instar se transformat. Licet tamen de modò non constet, Res tamen propterea neganda non est. Liceat indoctis, liceat æque doctis atque Philosophis ignorare modum de Re ubi constat. A posteriori nostra cognitio est, & nemo solem laudaret, nisi lumen, calorem & reliqua ejus bona ac dona omnibus sensibus & membris palparet & calcaret. Quicumquè ergò ab ignorance Modi ad Rei negationem procedit malè agit imò dicam pessimè.

§. 4. Modus tamen hic est. Genitum producitur mediante semine, semen è multis constat est corporibus, quæ omnia certis constant formis. Ut ergò semen à generante est, ita & corpora ista, ita & corporum istorum formæ. Hic modus est, hoc medium inquit Cl. Sperling. de Orig. form. p. 355. Stat namque hinc æquè
B univoca

generatio & cadit æquivoca. Nullum etiam hæcenus proferri exemplum quivit, quo generatio fictè æquivoca satis firmiter probata; Nulla species monstrata, quæ æquivocè fuerit producta. Generatio genus analogum est, non univocū. Naturam ergò hujus qui indagare laborat, analogatū adeat potissimum. In hoc enim requisita generationis patent, in cæteris latent. Sed hodiè nescio quò malò Physicæ fato Naturam aggredi malunt latentem quàm patentem, & ex illâ hanc læpius subvertere. Cum ex manifestis potius obscura essent eruenda, quàm ex hisce illa subruenda. Non eadem Naturæ Lux est, sed immerita non nunquam difficultatum tenebris ut λόγῳ καὶ πείρῃ opus sit, & improbo Labore. Ad obscuriores Res illustrandas de manifestioribus sumantur exempla. Generationis modum novisse gestiens hominem accedat, equum, canem & cæteras species nobiliores. De vermibus, & vespis, scarabæis & aliis primam si curam susceperit, hærebit.

THESIS IV. & ultima.

Subordinate Formæ deniq; jugum excutiunt & certam speciem constituunt.

§. 1. Zabarella in degenerat. & interit. l. c. IV. Rem eleganti declaratum it exemplo: Quemadmodum, inquit, si mortuo Rege servus aliquis fiat Rex, is erat prius Rege vivente, at non erat ut Rex, ideò si quærat quisquam, an sit novus Rex creatus nec ne, dicendum absque dubio est, esse novum Regem, mutatum-que esse Regem. Sic igitur in viventis interitu eatenus nova forma acquiritur, quatenus quæ prius erat tanquam conditio materiæ, substans formæ nobiliori, nunc incipit esse forma & compositum constituere & imperare. Hoc verò exemplum licet Zabarella de Formis saltem mentionis proferat, nihilominus tamen ad omnes formas, quæ præter elementa ad viventis corporis constitutionem necessariae sunt, optimo, quod ajunt, jure extendi potest, Res est eadem, sensus quoque idem, terminus saltem à nobis ampliatur & fusius explicatur. In generatione vermium in caseis v. g. videremus. Nam ut homines generari putant ignem ex lapidum collisione aut lignorum ascensione, qui tamen antea dudum infuit: ita & hic res se habet

habet. Generatio horum vermiculorum prima, seminum perfectione facta fuit; Hæc semina remansere tamdiu in cibis, in lacte, in caseis & cum & in seminibus; ipsa quoq; anima non gignentium, sed geniti, utraq; tamen existente unius speciei. Postmodum verò cum per putredinem *ἀνομαλία* aliqua subiecti recipientis introducta est, anima illa, quæ hætenus eò tanquam forma subordinata aut accidentaria delituerat, suum sibi domicilium extruit & mundi speciem constituit. Certo n. saltem respectu dicta est subordinata, quo sublato specifica evadit. Quoad materiale n. cum specificis sæpissimè conveniunt: Quoad formale v. differunt. Quamdiu n. sub dominio specificæ sunt, officio non funguntur suo, sed quoad nudam saltem entitatem adsunt.

§. 2. De fine nunc aliquid addendum esset; sed cum eum partim Cl. Licetus lib. 1. de Spont. vivent. ortu, partim Celeberrimus Sennertus hyp. V. c. 1 satis superque dederint explicatum eò brevitatis studio benevolam lectorem amandamus. Præclara sunt verba quæ de Fine formarum subordinatarum Dn. Sperlingius habet: tract. Phys. Med. p. 31. Si quæras de fine formarum latentium & in Corporibus ad huc salvis & integris degentium, dicimus, ait, facere illas cum suis materiis ad constitutionem corporum. Egit tali corpore quercus, tali salix, tali equus, tali canis, tali Leo &c. Hoc si non ad palatum, scias nec Lapidis, quem pedibus calcamus, specialem nos novisse usum, quid ergò mirum est, si in hisce abstrusissimis aliqua se offerat mentis vel cæcitas, vel imbecillitas.

TANTUM.

*Ad
Præstantissimum atque Eruditissimum Dn. Respon-
dentem amicum suum colendum.*

MArte student alij volitare per ora Popelli
Debilis, ac strenui nomen habere viri.
Ast hoc arte facis, Phœbi dum castra per
erras

Hosteque cum Sophiæ prælia dura subis.
Perge modò docto hoc Patriæ clarescere Marte
Sic Te quisque bonus, perpete laude vehet.
Perge alacri cursu rectam contingere metam
Sic studio capies præmia digna tuo.

L. M. Q. faciebat

PRÆSES.

~~~~~

**M**ens alta quæis petit, molestus haud labor  
Ullus esse solet:  
Hi mille volvunt, & revolvunt codices  
Dexterâ vigili.  
Quæ literis expressa legerunt, bene  
Exigunt animo.  
Ut hæc sciant, exactius, sententias  
Conferunt placide.

Ta]



*Talem refers, amice, jam doctissime,  
Nec colende parum.*

*Dum maximè vexata doctis ventilas,  
Ventilare dabis.*

*Sat hæc acumen exprimunt, opus probant  
Fortis ingenij.*

*Quod præmiis dignum profectò : Sit decus  
Literis, Patriæ!*

Hæc adproperabat  
Fautori & amico suo singulariter colendo  
gratulabundus

*M. Henricus Titius  
Sagan, Sil.*



Talem regere, amice, iam dicitur  
Nec colere potum.  
Dum maxime vixit dicitur  
Vestire dicitur.  
Sed hoc acumen experimentum, optat  
Forsis ingratum.  
Quodnamque dicitur profecto: Sit deus  
Liber, Pariter


Hac dicitur  
Liber, et amice suo dicitur  
grandibus

M. Henricus Titius  
Signat.



Nov. 2000 <sup>8d.</sup>







24

C. J.  
E  
S SUB-  
NATIS  
X  
SICIS  
*putabunt*  
S E S  
PAR GEHÖRZ  
col, Stud.  
NDENS  
S H A H N  
Marchicus.  
*rio Minori*  
Anno M. DC. LV.  
BERGÆ,  
LEGELIANIS.